



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de
Montisfalisci, M.DCC.XVII.

Casus III. Argumentum. Tradens fundum in Emphyteusim pro ædificanda
Ecclesia, reservato sibi certo Canone annuatim non acquirit Juspatronatus
in illa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72191)

Ac proinde deficiente titulo prætenſæ immemorabilis, jus tumulandi Patronum defunctum competit Eccleſiæ Parochiali B. cui favet aſſiſtencia Iuris. *Menoch. de retinen. poſſeſſ. remed. 3. num. 122. & ſeqq. Gratian. diſcept. 898. num. 17. Poſſib. de Manut. obſerv. 10. num. 21. & ſeqq.*

Nec adverſatur, quòd Eccleſia A. cum fit fundata, & dotata à Patrono, debeat illi præſtare honorem, & reverentiam recipiendi in ſe illius Cadaver, quia ut ſuperius notavi, Patronus in Eccleſia Patronali non habet Ius ſepulturæ, niſi hoc ſibi ſpecialiter reſervaverit in limine foundationis.

ARGUMENTUM.

Tradens Fundum in Emphyteuſim pro ædificanda Eccleſia, reſervato ſibi certo Canone annuatim, non acquirit Jus Patronatus in illa.

SUMMARIUM.

- 1 Tradens Fundum in Emphyteuſim pro ædificanda Eccleſia, non acquirit in ea Juspatronatus, & Quare?
- 2 Dominus Fundi dando Fundum Eccleſiæ amittit dominium Fundi, ſed acquirit in Eccleſia Jus honorificentie.

C A S U S III.

Quidam dedit in Emphyteuſim pro ædificanda Eccleſia Fundum ſuum reſervato ſibi certo Canone annuatim; Quæritur an iſte ratione aſſignationis Fundi acquirit Juspatronatus?

Rpondeo negativè, quia Textus in ſupradictis duobus capitibus concedit Juspatronatus, ſeu Aditum proceſſionis abſolutè Fundanti, ſeu danti Fundum pro ædificanda Eccleſia transferendo in illam totum Ius ſuum ſcilicet: Dominium tam directum, quàm utile Fundi; ſicuti dedit abſolutè Fundum pro ædificanda Eccleſia transferendo in illam utrumque dominium Iulius ille, cui Ge-

laſius Papa in ſupradicto Canone *Pia Mentis* in retributionem huiusmodi Beneficii collati Eccleſiæ dedit Aditum proceſſionis; ſed ille, qui dedit Fundum in Emphyteuſim pro ædificanda Eccleſia, non dicitur abſolutè dediffe Fundum, quia non tranſtulit in Eccleſiam totum Ius ſuum cum reſervaverit ſibi dominium directum in Fundo; ergo Textus in ſupradictis duobus capitibus non concedit Juspatronatus danti Fundum in Emphyteuſim pro Eccleſia ædificanda; Ita tenent *Gae. in repet. cap. final. de Elect. lib. 6. in 21. col. Lambertin. de Jurepatr. lib. 1. par. 1. queſt. 2. art. 2.*

Quod comprobatur paritate Domini, & Servi; ſicuti enim Dominus manumittendo ſervum, & privando ſe illo amittit dominium Servi, ſed acquirit Juspatronatus in eo *ex leg. prima, & ſecunda ff. de Jurepatr. & ex leg. prima, S. Circa, ff. de Offic. Prefect. Urb. & Archidiaconus in dicto cap. Pia Mentis*; Ita Dominus Fundi dando Fundum Eccleſiæ amittit quidem dominium fundi, ſed acquirit in Eccleſia Juspatronatus, ſeu Ius honorificentie.

ARGUMENTUM.

Ædificata Eccleſia in Fundo, inſcio Proprietario, an hic acquirit in illa Juspatronatus ratione Fundi.

SUMMARIUM.

- 1 Ædificans Eccleſiam in Fundo meo, me inſcio, Ego non acquiro in ea Juspatronatus ratione Fundi, ſed licita, ut ibi.
- 2 Ædificans Eccleſiam in Fundo meo, me inſcio, an acquirit Juspatronatus in illa ratione Ædificationis?
- 3 Ædiſcium cedit ſolo.

C A S U S IV.

Quidam ædificavit Eccleſiam in Fundo meo, me inſcio, quæritur, an Ego ratione Fundi acquiram Juspatronatus in illa Eccleſia:

Rpondeo negativè, quia non poſſum acqui-